Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1293
Quelle:
Copyright:

VIII. *fol.* 139. ἀδεσποτως Epistola D. *Hieronymi* ad *Eustochium*, quae incipit: *Audi filia et vide et inclina aurem tuam* &c. et habetur Edit. *Vallars.* T. I. *n.* XXII. *col.* 87. Pariter in Codice integra.

IX. *fol.* 155. p. 2. *Sophronius eusebius Jeronimus Oceano suo salutem. Deprecatus es ut tibi breuiter exponeremus* &c. Epistola spuria in T. XI. a *Vallarsio* rejecta ad *col.* 270. et in Codice ultimo Capite mulctata.

X. *fol.* 157. absque inscriptione pariter spuria et rejecta T. *eod.* ad *col.* 227. hoc initio: *Qui ethiopem inuitat ad balneas* &c. Integra est, et in Edit. audit: *Ad Pammachium et Oceanum.*

DLXXVI.

U. 908 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 221. f. per duas columnas non una manu, et multis vocum compendiis exaratus, coloribus distinctus, ab aevo, situque non optime habitus, et olim inter XVII. Volumina ab *Andrea de Weytra* Theol. Prof. et ad D. *Stephanum* Canonico transscripta *Collegio Ducali in Wienna* insignitur minio: *Quintum sextum quodlibeta et pars de septimo Gotfridi de fontibus secularis, et fecit 14^m quodlibeta in toto.* Tò *Secularis* litem dirimere videtur inter Literatores, quorum quidam, ut *Waddingus* et *Tannerus Godefridum* seu *Galfredum de Fontibus* aut *Fontanis* Fratrem Minorem, alii, ut *Oudinus* et *Foppenius* Cancellarium *Paris.* aut plane Episcopum *Camerac.* voluere. Codex noster illius tempora satis adtingit; vixisse enim circa a. 1280. creditur. In anteriore Theca hanc rubricam a Sec. XIV. manu lego: *Apud predicatores Wyenne iacet in eorum libraria quidam liber continens 14. quodlibeta gotfridi de fontibus non secundum ordinem secundum quem ipse fecit, sed quomodo allegat eum quidam frater ordinis predicatorum, bernhardus scilicet episcopus claromontensis, qui sicut impugnauit et corrupit Hainricum de gandauo in suis quodlibetis, sic et istum impugnat et corrumpit, Et ideo liber prenominatus pocius dicatur corruptorium Gotfridi quam eius quodlibeta.* Non favebant in decisionibus suis *Henricus* et *Godefridus* religiosis Ordinibus, ut tunc passim fervebat aemulatio. Exemplo sit *Godefridus*, qui *Quodl. V. Quaest.* 16. nobis *fol.* 9. p. 2. hanc propugnabat Thesin: *Status sacerdotum parochialium est perfectior quam status religiosorum;* unde etiam ab *Oudino* T. III. *col.* 584. *antimonachus* et *antiregularis* dictus est. In illum igitur, uti in *Gandavensem* et *Jacobum de Viterbio* O. Aug. insurrexit *Bernhardus de Arvernia*, ut habes in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 492. ubi tamen de *Claromontano* ejus Episcopatu minus fidenter pronuntiatur. Porro *Quodlibetum* V. a quo Codex noster auspicatur, incipit: *Querebantur quedam circa deum quedam circa creaturas. Circa deum quedam querebantur pertinentia ad essen-*